B

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE CYNANCHE TONSILLARI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ARCHIBALDUS NICOLLS,

HIBERNUS.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1805.

PATRI SUO DILECTISSIMO,

ARCHIBALDO NICOLLS,

DE *GRANARD*,

QUO

NULLUS PARENS UNQUAM AMANTIOR FUIT;

NECNON,

CONSANGUINEO SUO CARISSIMO,

RICARDO DEMPSY,

DE *LONGFORD*,

ARMIGERO,

MORUM URBANITATE,

VIRTUTIBUSQUE OMNIBUS QUÆ VIRUM ORNANT,

INSIGNI;

ILLI PIETATIS,

HUIC GRATITUDINIS ET AMICITIÆ,

PEREXIGUUM TESTIMONIUM,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

OFFERT

AUCTOR.

To Doctor Ogilvie with best wishes from the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CYNANCHE TONSILLARI.

PAUCI morborum qui genus humanum infestant, magis medici diligentiam sibi anxiam vindicant, propter impetum frequentem et molestiam insignem, quàm species diversæ Cynanchês: de quibus omnibus, quoniam, sigillatim tractare, hujusmodi disquisitionum limites haud sinunt; mihi in animo est, pauca disserere de ea specie sæpissimè obveniente, quæ his verbis celeberrimo Culleno definitur: "Cynanche (tonsillaris) membra-

" nam faucium mucosam, et præcipuè tonsil-
" las, tumore et rubore afficiens, cum febre
" synocha."

HISTORIA MORBI.

Tonsillarum partiumque vicinarum inflammatio, summis periculis nonnunquam stipatur; aliis temporibus tam levis est, ut opem medicinæ vix requirat: sed morbi tractationem sub forma graviore reddere, optimum mihi videtur; quâ status leviores facilè intelligentur.

Hic morbus nunquam contagiosus, sed haud rarò epidemicus est.

Incipiente malo, æger de molestiæ, angustiæ et doloris sensu in faucibus conqueritur; simul ac deglutitione difficili et dolorificâ. Affligitur etiam vocis raucedine et in ore viscositate molestâ, cum muci glutinosi excretione

frequenti; quem sine magno dolore deglutire non potest; namque inter deglutitionem ejus vel fluidi cujuslibet, quàm solidorum, actio musculorum deglutitioni inservientium, qui nunc rigidi et tumidi sunt, magis requiritur.

Faucibus internis conspectis, membrana earum justo vividior apparet: tonsillarum una, vel aliquando ambæ, velum pendulum palati, uvula, et partes vicinæ, quantùm conspici potest, præter solitum rubent et tument.

Symptomata memorata plerumque brevi persistunt, antequam pyrexia supervenit, quæ ferè semper pari ratione ac inflammatio urget. Utræque tamen, eodem tempore, sese aliquando ostendunt, et aliis temporibus pyrexia inflammationem præcedit.

Progrediente morbo, respiratio aliquanto difficilis fit, vel propter aëris transitum per nares impeditum, vel quia rima glottidis arctior redditur. Deglutiendi difficultas et faucium

angustatarum sensus, magis magisque sentiuntur. Vultus et oculi tument et rubescunt: sæpè ægrum vexat, capitis dolor vel gravitas. Haud rarò siti infestatur, cui vix indulgere potest: plerumque accidit anorexia, et nonnunquam etiam nausea, pharyngis irritationi tribuenda: alvus plerumque astricta est. Dolor in nonnullis, frequenter ad aurem tendit, quæ inter devorandum crepat, et levis surditas sentitur. Pyrexia nunc magis furit; pulsus arteriarum frequentes, validi et pleni sunt; calor augetur; vires tamen minimè franguntur.

Morbo ingravescente, aliquando tonsillæ adeò tumefactæ sunt, ut reverà se invicem tangant: valdè diminuitur cavum oris, linguæ, et mollium aliarum partium ejus tumore. Super tonsillas interdum observantur crustæ subflavæ, quæ rarò ulcuscula obtegunt. Sed aliquando maxilla inferior ferè immobilis redditur, inflammatione musculorum ejus motui

subservientium *, unde faucium inspectio impeditur. Spirandi et deglutiendi difficultate æger maximè torquetur: quando potum sorbere attentet, per nares, motu pharyngis convulsivo, aliquando rejicitur; aut interdum in laryngem mittitur, et suffocationem minitatur; et etiam inter conatum, (tonsillis utrisque inflammatis), convulsionibus homines tenelli correpti sunt †.

Si primò unam tantùm tonsillam inflammatio tenet, persæpè ad alteram, morbo durante, serpit.

Intra paucos dies, morbus cursum suum plerumque peragit: atque haud secùs ac pleræque inflammationes, resolutione, suppuratione, gangrenâ vel scirrho, finitur; aut aliquando metastasi ad encephalon, delirium et alia signa phrenitidis, vel ad pulmones, pneumoniæ symptomata, efficiente: sed tres ultimæ terminationes rarò quidem observantur.

---

* Home, Prin. Med.

† Macbride, "*Practice of Physic.*"

Resolutio, decrescentibus gradatim symptomatis monstratur; quam, nonnunquam urina aucta, sudor, aut narium hæmorrhagia, certiùs verò muci viscosi excretio copiosa, comitantur.

Suppuratio plerumque in una, sed aliquando in ambabus tonsillis invadit. In simplici abscessu, vel in plurimis cellis, continetur humor purulentus viscosus, admodum ingrati saporis, et sæpè sanguine tinctus; post cujus evacuationem, omnia ad sanitatem citò spectant. Sed non in tonsillis solis, suppuratio occurrit; exempla enim non desunt ubi, in diversis faucium partibus, vel gutturis superioris, abscessus formati sunt. Atque inter linguam et dentem tertium molarem posito abscessu, hunc morbum finiri, semel ac iterum vidi.

Plurima symptomata in hoc morbo comparentia, jamdudum explicabantur; reliqua facilè intelligentur, principia inflammationis

generalia contemplando, et memoriâ tenendo, membranæ ejusdem continuatione, cavum oris, fauces, pharyngem, nares internos, tubas Eustachianas, et laryngem, investiri; atque inflammationem alicujus partis hujus membranæ, ad omnes cæteras, citò se extendere posse. Tamen nonnulli, dolorem ad aurem tendentem, inflammatione per tubam Eustachianam perrepente, non excitari, haud ineptè existimant; sed ad ramum tertii, paris quinti nervorum, qui faucibus et auri partim impertitur, hanc affectionem referunt.

CAUSÆ REMOTÆ

IN eas, quæ homines morbo obnoxios reddunt, et quæ morbum proclivibus concitant, jure dirimuntur. Inter priores, tempus vernale et hyemale, atque plagæ boreales, enumeranda sunt. Homines sanguine abundantes, rubore et ætate florentes, rufi, et hæmorrhagiis obnoxii, huic morbo præcipuè opportuni sunt.

Mulieribus viri sæpiùs malum experiuntur: illos quoque, qui collum nimis investiunt, præcipuè adoriri videtur. Qui cynanche tonsillari anteà laboraverunt, reditui ejus proniores fiunt, propter vasorum infirmitatem inflammatione inductam.

Inter CAUSAS EXCITANTES, frigus præcipua existit, quod in corpore humano, pro diversis circumstantiis, multimodis operatur. Hoc malo in creando, corpori toto applicatum, vi astringente, perspirationem supprimente, ejusque materiam ad glandulas faucium mucosas atque tonsillas dirigente, agere videtur. Frigidi aëris rivus, faucibus, collo vel capiti affluens, utì contra ventum borealem inter equitandum; aut etiam potus gelidus, malum frequenter concitat; præcipuè, si calor auctus præcesserit, aut corporis reliquum per idem tempus caleat: frigus pedibus applicatum, eundem effectum persæpè præstat.

Quodcunque sanguinem impetu nimio ca-

put versus intendit, vel reditui ejus a capite obstat, Cynanchem tonsillarem excitare valet. Hinc exercitium vehemens, animus irâ excitatus, aliquando ejus causæ sunt. Ligamentum circa collum arctum, evacuationes solitæ suppressæ, eandem nonnunquam inducunt.

Aliis noxis, vel cum prioribus, vel sine iis, idem effectus perficitur; quarum nonnullæ acrimoniâ quâdam, aliæ vi mechanicâ, agunt. Ex illis, sunt acida concentrata, *alkalia*, sales metallorum diversi, acria effluvia, &c.

Ad offensas mechanicas pertinent, varia dura, et formâ irritantia materialia; exempli gratiâ, ossa animalium, et alia istiusmodi, quæ fauces lacerant, aut nimis distendunt. His addatur, ipsius organi intentio vehemens, sive cantando, sive clamitando; quanquam hæc exercitia, aliqua ex parte morbum ciere possunt, sanguinis reditum a capite interpellando; per pulmones enim, nimis aëre inflatos, sanguis transire satis celeriter nequit.

DIAGNOSIS.

Morbi, cum quibus periculum est, ut hic confundatur, duo præcipuè sunt, scilicet, Cynanche maligna, et Syphilis tonsillas et fauces arripiens.

Cynanche tonsillaris, a *Cynanche maligna*, signis sequentibus distingui potest. Illa adultos, robustos et plethoricos imprimis invadit; huic impuberes, imbecilli et mulieres, præ cæteris objiciuntur. Priorem pulsus validus et plenus comitatur; in posteriore, ictus arteriarum celeres, exiles et inæquales sunt. In illa, sub initio, parum debilitatis est; in altera, prostratio virium insignis et anxietas sese ostendunt. Fauces quoque in cynanche tonsillari, magis tument et dolent, atque colore vividiore sunt, quàm in maligna: intereà, illa plerumque frigore, hæc ferè semper contagione, incitatur.

Cynanche tonsillaris, nisi priùs suppuratione terminata sit, cum *Syphilide* vix unquam confundenda est. Ut a se invicem discernantur, notandum est, ulcus tonsillæ venereum profundum esse, et non aliter apparere, quàm si portio ejus effossa sit; crusta lardum referenti obtegi; atque margine prominente, rubente et duro circumdari: in altera verò, omnia longè distant *. Suppuratio nunquam cynanche tonsillari supervenit, sine inflammatione insigni, et pyrexia evidente præcessis; quæ in syphilide rarissimè apparent. Tamen, si quispiam hoc morbo laborans, frigori objiciatur, tonsillæ, haud secùs ac in cynanche tonsillari vera, primò comparent, sed ulcuscula speciem sibi propriam citò induunt.

---

* SCHWEDIAUER "*on Venereal Complaints.*"

PROGNOSIS.

Etiamsi morbus, de quo agitur, plerumque faustè finitur, tamen exempla quædam non desunt, ubi de exitu ejus maximè metuendum est; tùm ob febrem comitantem, cùm ob periculum exitii, ab inedia vel strangulatione. Inflammatione in gangrænam abeunte, vel ad partes nobiliores per metastasin translata, æger in maximo discrimine versatur.

Ubi respiratio acutè dolens, difficilis, et frequens sit, cum vultu livido et valdè tumefacto, oculis prominentibus, et sanguine suffusis, et colli et temporum vasis plurimùm distensis, suffocationis periculum instat. Tamen si ob tumoris magnitudinem solam, ægrè spiratur, non multùm timendum est: si verò respiratio difficilè perficitur, dum fauces non valdè tument, malum augurium est; tunc

enim colligere licet, inflammationem laryngem, aut aliquam aliam partem respirationi admodum necessariam, corripuisse. Quando autem tumor externus oriatur, exitum felicem fore sperandum est *.

Gangrænam supervenire, (quod rarissimè accidit), deprehendamus, si tumor anteà splendens, colorem lividum induere incipiat; si dolor ardens et acutus sine causa manifesta cesset, et pulsus crebri, debiles et inæquales evadant. Crustæ, quamvis illis similes, quæ gangrænam comitantur, sæpè sine ulla ad eam proclivitate apparent, et raró periculum intentant.

Si per quinque dies, sine ulla remissione, inflammatio perstiterit, suppurationem insecuturam suspicari licet: aut in quovis morbi stadio, si dolor minùs acutus et pulsatilis eva-

---

* MACBRIDE, "*Practice of Physic.*"

dat; si horrores vagi et inæquales excitentur, et pulsus mollior deveniat, idem suspicandum est. Pure formato, doloris remissio est, symptomata febrilia multò mitiora fiunt, atque tumoris apex coloris albicantis observatur.

Resolutio attamen terminatio frequentissima est, et remediis idoneis maturè adhibitis, ferè semper obtineri potest. Si symptomata levia sint, et inflammatio non diu persstiterit, hæc nunquam non expectanda est.

METHODUS MEDENDI.

Consilia curatoria variant, pro stadiis morbi diversis; sed de indicationibus ad resolutionem dirigentibus, quæ tàm principio, quàm decursu, medico maximè tentanda est, accuratiùs tractare licet. Ad hoc propositum, hæc duo consilia proponam:

1*mò*, Pyrexiam et inflammationem moderari et amovere.

2*dò*, Quacunque ratione conari, ne strangulatio vel inedia ægrotantem arripiat.

Quod ad primum spectat; causæ remotæ, si harum vires adhuc sese exerant, quantùm fieri potest, summoveantur.

Regimen antiphlogisticum, utì in aliis phlegmasiis, accuratè celebrari debet; frigidi aëris applicatione, quæ semper nocet, solâ exclusâ; sed nimium caloris non minùs vitandum est: temperies igitur, quæ gradum circiter sexagesimum *thermometri Fahrenheitiani* hydrargyrum tenet, optimè convenire videtur. Ab locutione, ut partes affectas malè exercente, ægrum cautè abstinere oportet; atque haud levis momenti erit, illum non omninò cubare sed caput ejus aliquantùm elevari.

Inter evacuationes in hoc morbo institutas, sanguinis detractio maximè prodesse solet. Si pyrexia et inflammatio valdè urgeant, ad sanguinis e brachio missionem, prout res postu-

lare videatur, repetendam, confugiendum est. Quando autem æger tanto nutrimenti, quantum systemati necessarium foret, per aliquot dies privatus sit, ab venæsectione ferè semper abstinere oportet: atque reverà, in casibus plerisque, detractio sanguinis topica meritò anteponenda est. Hæc hirudinibus, faucibus externis, vel cucurbitulis cruentis, temporibus admotis, commodè efficiatur: aut sanguinem, crebris et profundis incisionibus, ex tonsillis ipsis insigniter tumefactis, maximo cum fructu detrahere possumus *. Nonnulli medicorum venas sublinguales vulnerare suadent; sed hoc modo tantillum sanguinis plerumque emittitur, ut multum auxilii præbere nequeat.

Purgatio alvi, ab omnibus auctoribus, multò et meritò laudatur, et semper indicatur, nisi (sicut nonnunquam fit) diarrhœa aut in-

---

* Audi Prælect. Clin. Doctoris Rutherford.

gens debilitas adsit. Cathartica salina, quippè quæ motum sanguinis non accelerant, nec systema irritant, cæteris anteponi jure videntur: sed his frustrà adhibitis, ad validiora, ut *submuriatem hydrargyri* cum jalapa junctum, ritè decurrendum est. Si per os, sine magno dolore, hæc assumi non possint, utilius erit, vice eorum, clysmatis laxantibus uti.

Diaphoretica, in hoc morbo sublevando, non mediocriter valent; nam ex perspiratione frigore suppressâ, sæpè originem ducit; et sudore suâ sponte erumpente, haud rarò solvitur. Tamen medicamentis stimulantibus, et temperiei incremento, diaphoresin excitare nunquam licet; sed *diluentia*, *sales neutri*, et similia, quæ motum sanguinis parùm vel minimè accelerant, tantummodò adhibenda sunt. Ad idem propositum *pediluvium* maximè confert; quod etiam sanguinem ad extrema inferiora elicit, et sic inflammationis vim haud parùm mitigat.

Emeticis sub initio adhibitis, sæpè morbus tollitur, vel saltem symptomata multò leviora, quàm aliter fuissent, redduntur. Diversis modis hoc efficere videntur; scilicet, folliculas mucosas faucium et tonsillarum abstergendo, et excretionem earum promovendo; atque diaphoresin per totum corpus excitando, qua sanguinis distributio inæqualis impeditur. Atque etiam, peractâ suppuratione, ad rumpendum abscessum, vomitum ciere nonnullis commendatur.

Epispasticis et *rubefacientibus*, nullum remedium sæpiùs aut feliciùs adhibetur. Posteriora faucibus externis admota, in exemplis mitioribus, satis potentia sunt; ex quibus, oleum camphoratum, vel ammoniatum, præ aliis conveniunt. Inter medicos multùm discrepatum est, cui parti præcipuæ, epispastica applicari debent; sed, me judice, quò propiùs ad sedem inflammationis admota, eò majore utilitate gaudent. Tamen si faucibus externis diutiùs adhibeantur, et nullam vesicatio-

nem inducant, haud rarò prorsùs nocua sunt; quia systemati nimiam irritationem addunt, et parti dolenti sanguinem copiâ majore dirigunt *. Ob hanc causam, vesicatorium satis forte esse, et partem cui impositum erit, priùs cum aceto fricari, necessarium est. Sanguinis missione præcipuè cum fructu utimur, siquando idonea videatur, antequam hoc remedium tentatum fuerit: atque curam nos gerere semper oportet, ut vulnera hirudinibus facta, (si talia sint), aptè priùs tegantur; ne stranguria molesta, cantharidum absorptione, supervenerit.

Gargarismata ad faucium affectionem levandam, haud mediocriter valent, ideòque semper adhiberi debent; sed variare nonnihil, pro circumstantiis morbi diversis, necesse est. Quando inflammatio violenter urgeat, aut ad suppurationem spectet, liquores emollientes

* Audi Prælect. Clin. Doctoris RUTHERFORD.

præ aliis appositi sunt: sed si non vehemens sit, vel aliqua ex parte remediis idoneis tolleretur, gagarismata astringentia multum auxilii afferunt, magisque præsertim, quando morbus ex laxitate vasorum originem duceret. Huc spectante, illustri CULLENO formula sequens laudatur:

℞. Decocti corticis querci, libram;
Sulphatis aluminæ, semidrachmam;
Spiritûs vini Gallici, uncias duas. M *.

Et hoc quidem, vel alium ejusmodi gargarisma, sub morbi hujus insultu, ritè adhibitum, eum penitùs amovere haud raró observatur. Quando autem partes quàm maximè tumefactæ sunt, et gargarizare æger non potest, syringis ope injicere, ad mucum viscidum abluendum, imprimis utile erit. Tamen propter dolorem his modis excitatum, aliquid consistentiæ firmioris nonnunquam usurpari debet, ut mel cum acido sulphurico, vel muriatico, gratè acidulatum, quod partibus sine molestia

* CULLEN, Materia Medica.

admoveri potest. Nonnulla exempla contigit mihi videre, ubi hoc remedio, multum levaminis magnâ muci excretione comitatum, citò allatum fuit. Inhalatio quoque vaporum aquæ ferventis cum aceto admistæ, excelsè laudatur; namque mucum in crustas coïturum diluit, et humorum faucium excretionem promovet.

Electricitas utile remedium est, quando ex redeundi consuetudine, morbi tentatio orta sit, et vasorum laxitate comitetur: et quidem post morbi discessionem, haud minùs aptum est, ubi, ut nonnunquam fit, tonsilla tumida et relaxata permaneat.

Nunc de modis, ad indicationem secundam absolvendam necessariis, agendum est: scilicet, præcavere ne suffocetur, vel fame consumatur æger. Hæc reverà, non solùm ubi resolutionem promovere conamur, verùm etiam per totum morbi decursum, in memoria nos tenere oportet. Ut strangulationi obviàm eamus, remedia anteà dicta, (electricitate forsan

solâ exceptâ), diligenter applicanda sunt. Si verò periculum pòst hæc adhibita instaret, ad *bronchotomiam*, sine pavore, decurrendum est.

Ubi, ne æger ex defectu alimenti patiatur, timendum est, evacuationes supervacaneæ, et omnia quæ irritant aut debilitant, maxima cum cura vitare oportet. Si illo aliquid assumi potest, valdè nutriens esse debet, ut gelata animalia, et alia quæ facilè sorberi possunt: sed quando deglutiendi facultas penitùs deleta sit, *clysmata* nutrientia injicienda sunt.

Suppuratio.—Ubi ex anteà recensitis signis suppurationem incepisse patet, eam maxima cum cura promovere decet. Hoc optimè perficitur, aquæ vaporibus inhalatis, et gargarismatis emollientibus; et fortassè etiam cataplasmatis externè applicatis: intereà ægrotantis vires, utì jam dictum fuit, diligenter sustinendæ sunt. Abscessu formato, si non suâ sponte rumpatur, illico lanceolâ aperiatur;

posteà, quolibet gargarismate detergente uti necesse erit.

De *Gangræna*, et *Scirrho*, paucissima dicere requiritur. Illi, vino et cinchonâ internè, et liquoribus stimulantibus topicè adhibitis, fortiter obviàm eundum est. Alter ope chirurgica plerumque indiget.

Quando inflammatio ad cerebrum, vel pulmones, per metastasin, tranflata sit; non aliter tractanda est, quàm si ex ulla alia causa originem duxerit.

Hoc morbo in sanando, ne revertat, summis viribus eniti debeamus. Ad hoc peragendum, gargarismata astringentia plurimùm valere manifestum erit, ubì perpendimus, vasorum laxitatem reditui ejus quàm maximè favere. Ad idem conducit, oris et faucium lavatio frigida, omni mane adhibita. Præstereà, alvi astrictio, frigoris applicatio ad pedes, et causæ aliæ excitantes, providè avertenda sunt.

F I N I S.